

105
70
BELOHIM
DISSEKTATIO PHILOSOPHICA
Exhibens
THEOREMATA
QUÆDAM
MATHEMATICA,

Quam
Divina Adspirante Gratia,
Et

Amplissimã Facultate Philosoph.
approbante,

In Regiã Academiã Aboensì,
SUB PRÆSIDIO

VIRI

Praclarissimi atque Excellentissimi

DN. M. JOH. FLACHSENI,
Mathematicum Prof. ibidem Publici ac
celeberrimi, Præceptoris & Promotoris sui
debitã observantiã perpetim
colendi,

PRO GRADU Magisterii ejusq; Privilegiis
obtinentis examinandam proponit

ANDREAS P. BERGIUS,

Ad diem 4. Febr. Anni 1682.

ABOÆ,

Excusa à Jobanne Wallio, A. T.

Reverendissimo in Christo Patri

DN. JOHANNI GEZELIO,
S. S. Theol. Doctōri excellentissimo,
Inclytæ Diœceseos Aboënsis Episcopo emi-
nentissimo, Consistorii Eccles. Præsidi gra-
vissimo, nec non Academiæ Pro-Cancellario
magnificentissimo, Mœcenati Patronoq; suo
magno omni obsequiorum & reverentiæ
cultu æternum prosequendo.

UT ET

Admodum Reverendo & Præcellentissimo

DN. JOHANNI GEZELIO, J. F.
S. S. Theol. Doctōri celeberrimo, Prof. ha-
ctenus publico in Regiâ Universitate Aboënsi;
nunc verò Diœceseos Narvensis Superinten-
denti longè dignissimo, ut & Pastori Civitatis
ejusdem vigilantissimo, Evergetæ studiorumq;
suorum Promotori ætatem suspiciendo.

NEC NON

Plurimum Reverendo & Præclarissimo

M. PETRO A. BERGIO, Past. & Præp.
in Tösfala meruiss. Parenti suo ac Genitori
filiali honore & observ. perpetim colendo.
Rever. item Humanitate & Doctrinâ conspicuis,
DN. PASTORIBUS DISTRICTUS WEMOENSIS,
Fautoribus suis singulariter honorandis.

*Disputationem hanc Graduaalem in grati animi
τεμπήριον & certam sui promovendi spem
submitte & officiosè inscribit, ded. & offert
Auth. & Resp.*



I. N. J.

THEOREMA I.

Coelum stellatum omninò con-
spiciendum erit in Astronomiâ
quasi certis quibusdam sphæ-
ris distinctum, idque melioris
& plenioris cognitionis gratia,

Nam eandemque rem in diversis
considerari posse disciplinis, a-
lio atque alio sub formalis, extra
omnem controversiæ aleam positum est.
De cœlo agit Physicus, prout est species
corporis naturalis, suas habens causas
certasque affectiones. Cœlum contem-
platur Astrologus, quatenus ex situ ac
posito ejusdem, à stellarum motibus,
earumque ad se invicem habitudine
futurorum prædictionem pollicetur.
Cœli denique considerationem sibi
vendicat Astronomus, quatenus certâ
mensurâ & motu siderum præditum est

De motu autem stellarum dum agit Astronomiæ cultor, necessum habet cœlum in certas sphaeras seu orbis distinguere: ultrò concedens, non dari ejusmodi distinctas concamerationes cœli, nec circumrapi sidera à distinctis quibusdam sphaeris seu orbibus (ut olim somniarunt veteres); sed esse Cœlum continuum quoddam & stuidum corpus non secus ac est aër & aqua, adeoque liberè & per se moveri stellas in regione cœlesti, prout aves in aëre volantes, piscesque natantes in aquis spectare licet: nihilominus tamen cum diversitas & apparentia motuum cœlestium vix percipi & explicari poterint, nec ulla poterit construi scientia Astronomica, nisi hujusmodi, de distinctione orbium cœlestium, hypotheses præsuponantur ac principia; ob insignem itaque eorundem usum, licebit quoq; in ipso æthere liquidissimo sphaeras nonnullas fingere, non quidem solidas & reales, sed intentionales tantummodò, aereque nostro, etiam purissimo, tenuiores.

Stellæ Fixæ scintillatione suâ à
Planetis dignosci possunt.

ORbem Stellarum Fixarum magno
Sphæris Planetarum superiore esse
intervallo experientia evicit & obser-
vatio: nihilo tamen secius, propter
insignem orbium cœlestium ab oculis
nostris, distantiam, non raro accidit,
ut videntes stellam primæ magnitudinis,
planetam nos conspiciere credamus, &
contra, videntes planetam, (Sole &
Luna exceptis) stellam quandam fixam
oculis obversare nostris putemus. Ne
ergo oculi nostri, in observatione
stellarum tam grandem committant
errorem, inter alia, ad earundem scin-
tillationem, sive micationem luminis,
diligentè attendendum erit. Scin-
tillare stellas fixas non est qui dubitat,
omnium siquidem hoc testatur sensus,
causas autem hujus scintillationis varij
varias assignant, præponderare autem
videntur rationes illorum, qui mica-
tionem istam apparentem statuunt.

hanc ex Opticis producentes causam, quod nempe stellæ fixæ, propter maximam ab oculo videntis distantiam, debilem valdè in aerem intermedium imprimant imaginem, quæ ob motum aëris, atque adeo propter nubes & vapores, debiliter in aëre ipso repræsentatur, unde & nobis quasi tremere videntur, sicut virga imbecillis, aut surculus aliquis in arbore, summam ob tenuitatem sæpè nobis trepidans apparet. Planetæ autem quoniam terræ viciniores existunt, fortiolem idcirco & stabiliorem quoque imaginem aëri intermedio imprimunt, ut corpus ipsorum magis immotum & minus divaricatum appareat. De Martis verò micatione, si aliquid hic loci dicendum erit, ad ipsius sideris, cum Scaligero, naturam provocare haud absurdum videtur: notabilis præterea & magna est differentia inter scintillationem planetæ hujus & stellam fixam, quod ex observatione liquido constare potest.

III.

Eclipses Solares fiunt tantum in conjunctione, sive novilunio, & contra vero Lunares in plenilunio, seu oppositione, suntq; nunc totales nunc partiales.

§. I. **D**uo hæc luminaria magna Sol & Luna, portentosa valdè interdum patiuntur deliquia, quæ nihil aliud sunt quam interceptio luminum eorundem ut à terræ incolis conspici nequeant. Fiunt autem defectus sive Eclipses Solares regularitè & ordinariè nunquam nisi in conjunctione Solis & Lunæ, quando nempe Luna in eodem cum Sole Signo concurrens, directè inter Solem & oculos nostros intercedit, sive, cum Sol Luna & oculi nostri sunt in unâ eademque linea; hoc verò dum fit, impeditur transitus radiorum solarium ad nos, per interpositam Lunam. Quod tamen in singulis novilunijs seu in omni conjunctione Eclipses Solares non contingant, ratio est hæc, quod Sol dum lu-

næ conjungitur, non semper invenit illam in Ecliptica sive in ipsis nodis, vel quam proximè circa nodos occupatam, sed ut plurimum in suâ latitudinè divagantem, & tunc quidem aliqua Solis obscuratio fieri nequit.

§. 2. Eclipsen Lunæ quod attinet, notum est illam consistere in privatione luminis solaris mutuatitij in luna, quæ fit in oppositione, dum terra inter Solem & lunam diametralitèr collocata, summam ob soliditatem suam transcursum radiorum solarium prohibet, umbramque caliginosam in partem oppositam projicit, quàm cum subit luna sive ingreditur incidit in deliquium, suoq; mutuatitio privatur lumine: & quod antea seu superius dictum de obscuratione Solis, illam videlicet fieri non posse in omni conjunctione, idem & hic dicendum erit de Eclipsi lunæ, illam nempe in quavis oppositione contingere non posse, sed tantum in eâ, ubi Luna vel sub ipsa versatur Ecliptica, vel prope eam ita ut exiguam vel plane nullam latitudinem sub Eclipticâ habeat.

§. 3. Ultramque autem Eclipsin, tam Solis quam Lunæ, dicimus esse nunc totalem nunc partialem. Possit Solem totaliter obscurari, sunt qui negant, thesin hanc procul dubio in eo accipientes sensu, quod totaliter obscurari, idem sit, ac respectu omnium mundi partium simul ac semel toto privari lumine, quo sensu & nos Solem totaliter, obscurari posse inficias imus. Dicitur autem Sol totaliter obscurari, quando Luna respectu certi alicujus districtus seu provinciae adspectum Solis adimit. Fieri idcirco potest, ut eadem Eclipsis Solis quibusdam totalis (sine tamen aliquâ morâ) aliis verò partialis appareat; rarius tamen quibusdam locis visæ sunt Eclipses Solis totales, sæpius verò partiales; eæque nunc sine, interdum cum morâ, prout Luna vel in Apogæo vel Perigæo constituta est. Dantur quoq; Lunæ obscurationes totales, cum totum corpus luare umbram terræ ingreditur, sicque deliquium patitur; dantur & partiales, dum pars aliqua Lunæ obscuratur. Ultraque autem vel cum vel sine

morâ, prout inæqualis Solis à terrâ distantia crassitiem umbræ terrenæ variat.

IV.

Eclipses hodiè frequentiores non sunt, quam erant olim.

Appropinquare jam universi excidiū ideoq; mala omnia indies multiplicari, paritèr & Eclipses, communis querela hominum præsertim vulgi esse solet. Mala autem multiplicari, quod dicunt, hoc planè fit per accidens, ejusq; causa, non in magnæ hujus machinæ, ruinâ quæ supernaturalis aliquando futura est, inquirèda erit, sed potius in perversis hominū ingenijs, pravisque moribus, quæ quotidie magis magisque accrescunt, hinc igitur Eclipsium frequentia major quam olim adstrui neutiquam potest; nulla enim in causis earundem adhuc deprehensa mutatio, eadem quantitas Solis & lunæ & terræ, ac antea, umbrarum itidem ratio est eadem; cui itaque dubium, quin eadem frequentia præscis, ac nostris temporibus visæ fuerint Eclipses; & si adhuc scrupulus alicui restet,

restet, instituat calculum, certoque certius inveniat Eclipses retro numeratas, in eadem ac nunc sunt, fuisse frequentiam. Quamvis autem plures in calendarijs nostris deprehendere liceat annotatas, quam in diarijs veterum; major tamen exinde earundem frequentia adstrui nequit, sed Artificibus nostratibus major potius attribuenda, diligentia, qui nobiliores & visas Eclipses tantum non assignant, sicut fecerunt olim, verum & minus notabiles, quæ in alijs terris e longinquo distitis conspici possunt, opponere solent. Si verò quis ad verba Salvatoris, de signis in Sole & Lunâ futuris, provocare voluerit, notum est, non loqui inibi Christum tam de signis vel Eclipsibus ordinarijs, quæ secundum communem naturæ cursum fiunt; quam prodigijs, quæ physicam non agnoscunt causam.

V.

Astrologi ex observatione stellarum futura prædicere possunt.

Dari influxum Siderum in hæc inferio.

feriora nullus facile negabit, dum modo effectus sive operationes Solis & Lunæ (potissimorum utpote luminum,) aliquantulum cognitas ac perspectas habuerit. Quia eo progressi Astrologorum nonnulli, ut & ipsam voluntatem humanam virtuti Astrorum subiectam esse ausi sint affirmare; verum ultro concedentes stellarum vim esse stupendam, aliquid tamen juris aut dominij competere illis in voluntatem & actiones humanas nequaquam largimur quin autem in actiones hominis, quas cum bestiis communes habet, multum agant, inque voluntatem humanam svadendo eam & inclinando, non diffitemur, hoc tamen sine aliquâ coactione. Insignem itaque errorem committunt illi valdeque hallucinantur, qui ex astris hominum studia, consilia, vitæ cursum, matrimonium, liberos, fortunam, & quæ non, infallibiliter prædicere satagunt, falsoque sibi persuadent; quorum tamen multa singulari providentiæ Divinæ ac dispensationi, quædam & libero ho-

hominis arbitrio immediatè subjacent, influxus itaque siderens in hisce aliisque moralibus, prout causam agit universalem & remotam, ita & effectus hosce neutiquam determinare potest. Futura verò quæ prædicere possunt Astrologi, alijque naturæ speculatores indefessi, ad duas haud incommodè redigi possunt classes, quædam tanquam necessariò futura, utpote oppositiones & conjunctiones stellarum, novilunia & plenilunia, eclipses, stationes &c., quæ singula, vi consueti cursus naturalis, omninò fieri & debent & possunt. Alia vero, utpote pluvias & tempestates, frigora & calores intensiores, fecunditates & sterilitates terræ, morbos, bella, & id genus alia, possunt quidem in antecessum videre; non tamen ut necessario sed contingentèr futura, mutationem horum tribuentes siderum directori & conditori, ut causæ primæ, à quâ causæ secundæ in fieri esse & operari dependent.

Terra & Aqua in scientiâ Geographi-
 câ complexim pro uno cor-
 pore sumuntur.

Distinctam terræ & aquæ considera-
 tionem dat Physicus, diversa liqui-
 dem sunt elementa, distinctas quoque
 constituunt species corporis naturalis,
 idcirco & pro suo formali, causas ho-
 rum corporum & affectiones explicat
 & proponit. Geographus, terram &
 aquam eatenus Physico rimandas relin-
 quens, duo hæc corpora, à se invicem
 distincta conjunctim accipit pro uno,
 & sic partem hanc mundi cælo oppo-
 sitam spectat & contemplatur, ejusque
 quantitates, dimensiones & intervalla
 suæ facit considerationis. Has verò mun-
 di partes, aridam scilicet & humidam,
 in unum coxisse corpus, una compre-
 hensum superficie, testis est experien-
 tia. Hoc enim vel illo quocunq; supera-
 to pelago, semper loca invenire licet a-
 rida, quibus iterum peragratis, alia atq;
 alia obveniunt maria Eclipses quoq; seu
 passi-

passiones Lunæ, hoc ipsum firmiter satis adstruunt, Nam in quacunque cæli parte luna obscuratur, semper unicam tantum & uniformem in ejus corpore videre licet umbram, quod si corpus aquæ à corpore terræ separatum esset, utique in luna duæ quoque, & diversæ conspicerentur umbræ, quarum unam terra, alteram projiceret aqua. Ulterior adhuc probatio ab identitate centri haud difficulter peti potest, terra enim & aqua idem planè habent centrum, quod a particulâ terræ & guttulâ aquæ in ærem elevatis, per eandem lineam descendensibus, manifesto patet,

VII.

Superficies Terræ & Aquæ globosa est seu sphaerica.

Cerra ac firma Geographorum hypothesis hæc esse solet, quod terra cum circumfluis & infulis aquis unum constituat globum. Terra enim alicubi profundis excavata alveis, aquas intra se recipit, easque sibi inclusas continet & coerces. Alibi autem extat supra aquas,

ut commodam animalibus habitatio-
nem præbeat. Aqua verò ad loca hu-
miliora fertur, atque in se residens, al-
veos terræ tum explet, tum convexa
exæquat, ut æquabilem gibbositatem
constituat. Probationes theses hujus
varias dare solent Geographi potiores
an notasse sufficiat. Ex rotunditate ter-
ræ & aquæ, cum quoad latitudinē, tum
quoad longitudinem, primum depro-
mere argumentum haud in competens
videtur. Rotundam esse hanc massam se-
cundū latitudinē seu à septentrione ver-
sus meridiem, ex eo manifestū est, quia
ex partibus mundi leptentrionalibus, ad
plagas meridionales vel contra à me-
ridionalibus plagis ad septentriona-
les, proficiscentibus nova subinde sidera
emergunt, & apparere incipiunt, quas
antea propter intervenientem terræ
gibbum & tumorem perspicere non
poterant. Sic, ursa minor quæ nobis
perpetuò se videndam præbet, magis
magisque in meridie habitantibus, ne
quoad aliquam sui stellam conspici po-
test. Hinc ergo concluditur terram à
se

septentrione in meridiem esse rotundã,
Si enim plana esset, utiq; omnes stellæ
septentrionales conspicerentur in par-
tibus mundi meridionalibus, & contra
omnes stellæ meridionales apparerent
in partibus mundi septentrionalibus,
quod tamen non fieri perpetua oculo-
rum probant testimonia, Secundum
longitudinem verò, seu ab Ortum versus
Occasum rotundam esse terram, duo-
bus argumentis probatum ibimus; &
quidem priori, ducto ab ortu & occasu
Solis aliorumque siderum, quæ eodem
tempore omnibus terræ incolis nec o-
riuntur nec occidunt. In ortu enim ha-
bitantibus sol citius & oritur & occi-
dit, contrarium verò experiri licet a-
pud illos, qui ad occasum magis ver-
gunt. Semper enim 15. gradus, die-
rum & noctium initiis integram ho-
ram vel demunt vel addunt, ita ut illis
qui gradibus 15. magis versus ortum ha-
bitant, quam nos, sol integrâ horâ citius
oriatur quam nobis. Secundo a. ulterior
adhuc thesæ nostræ probatio ex Solis
& Lunæ Eclipsibus facili negotio extrui
potest, si enim poneretur terram quoad

longitudinem planam esse, qua ratione
posset, hanc secundum hypothese[m], una
eademq[ue] Eclipsis in diversis locis ad di-
versa conspici tempora, quod tamen
fieri certissimum est, Orientalibus namq[ue];
citius apparent Eclipses lunares, occi-
dentalibus autem tardius, quod varji
varijs probatum dederunt. exemplis.
Globosa præterea terræ figura, ex ipsius
umbra quam conoidalem sive circula-
rem à se projicit, firmiter latis adstrui
potest, quod patet in Eclipsibus Lunari-
bus; talis autem umbra corporis rotun-
ditatem omninò arguit & præsupponit
ut ex Opticis constat. Cacumina verò
altissimorum montium quod attinet,
vallesque profundissimas, notum est il-
la, si ad totius globi terreni molē com-
parentur, proportionem pene habere
nullam, idcirco ejusdem rotunditati
nequicquam officere possunt.

VIII.

Terra in medio mundi sita, instar
centri totius universi stat immobilis
In signis ante annos circiter ducentos
Mathematicus Nicolaus Copernicus

curſu quaſi poſtliminio revocavit erro-
num iſtud dogma ſive hypotheſin Py-
thagoreorum, ſtatuentium ſtellas in cœ-
lo immobiles, terram verò e contra cir-
ca centrum ſuum volvi ac circumgyrari:
conſtituens ſolem centrum mundi, &
quidem immobilem, terram vero, tan-
quam planeta, collocans inter venerem
& martem, illamq; annuo etiam curſu
circa ſolem circumferri ſtatuit; quam
hypotheſin, Aſtronomorum varii ut-
pote Keplèrus, Galileus, Rothmannus,
aliique plures amplectentes, multis ra-
tionibus confirmatam ac ſtipatam de-
derunt. Hanc autem ſententiam quo-
niam per plurimè comitantur abſurda,
unius videlicet corporis ſimplicis dupli-
cem eſſe motum, gravia & levia naturâ
ſuâ moveri circularitèr, nullum dari
motum ſimplicem ſurſum & deorſum,
& ſic deinceps; idcirco & illam, quaſi
minus veram, rejicere nulli dubium erit,
Contrariatur præterea manifeſto ſen-
ſuum judicio, unicuique enim ad oculū
patet Solem cum reliquis ſtellis, ſingu-
lis diebus ab oriente in occidentem cir-
ca terram moveri, ſenſum autem in ijs,

quæ sensibus manifesta sunt, dimittere,
& rationem quærere, infirmitas intelle-
ctus est, ut elegantè dicit Sperlingius.
Adversatur quoq; ipsi experientiæ, mo-
tus, quem fingunt, terræ; quo pacto e-
nim globus plumbeus vi pulveris tor-
mentarij, vel lapis in altum projectus,
centrum suum repeteret, si circularis ter-
ræ motus daretur, circumductâ etenim
interea terrâ, hic neutiquâ fieri posset.
Duplex hic quem inferunt motus, ab-
surdum parit in philolophiâ, ut antea
dictum. Eandem esse rationem totius
ac partium qui dicunt, sciant lapidem
sive globum plumbeum, sui juris non
esse, sed in statu violento constitutum.
aperto deniq; sacri codicis testimonio
repugnat, quod solem stetisse ac retro-
gressum fuisse, terram autê fundatâ supra
bases suas in æternû non moveri disertè
statuit. Si tamè cuidam hypothese hanc
ob facilitatem in demonstrationibus A-
stronomicis assumere placuerit, licebit,
dummodo pro ipsius veritate pugnare
non studeat, licitum enim est Mathema-
ticis hypotheses assumere falsas, facilio-
ris operationis ac demonstrationis ergo.

IX.

Globus Terraqueus respectu superiorum sphaerarum nullam censibilem magnitudinis habet proportionem, sed instar puncti censeripotest.

DUplex Globi Terraquei dari potest consideratio, absoluta nimirum & respectiva; absolute terram dum consideramus, & prout in se est, magnam equidem illius esse molem concedimus, & quidem tantam, ut 3400. Mill. Germanica ambitu suo contineat, prout artificiosè percertas observationes, & vi aureæ regulæ hoc probatum dant Geographi; comparatè autè loquendo, dicimus magnitudinem hanc non esse notabilem, consideratam videlicet respectu superiorum orbium. Quælibet namq; stella firmamenti major est terra, ut constat, micant tamen & splendent instar puncti in firmamento, terræ itaq; respectu firmamenti exigua plane erit proportio. Alia adhuc accidit ratio, quod instrumenta Mathematica in superficiè terræ collocata, æq; rectè inserviant ad investigan-

dos situs & magnitudines stellarum ac si in ipso terræ meditullio seu centro usurpata fuissent. Denique & hoc probationis loco stare potest, quod etsi gnomonici, seu Horologia sciote-rica conficientes, loco centri terræ, summum gnomonis collorent, nihilo tamen secius motui solis præcise respondēt circumvolu-ones umbrarum, perindè ac si umbræ in ipso ter- ræ centro observarentur. Si autem magnitu- do globi terreni notabilis esset, utique hoc gnomonicis non procederet, nec umbræ adeo exacte horas diei indicare possent. Quæ allatæ rationes facile evincunt, magnitudinem terræ non esse tantam, ut obstare possit, quo minus stellas fixas superioresq; Planetas rectè obser- vare possimus, respectu autem Planetarum ma- gnam satis & valde notabilem esse magnitudi- nem terræ, Parallaxes Astronomorum edocent.

X.

Omnes fermè Zonas habitabiles esse ratio & experientia testatū faciunt,

A Quator cum duobus Tropicis & Pola- ribus, Terram in certas distingvit Zo- nas, unde quinque vulgo recenseri solent, una videlicet Torrida, duæ Temperatæ & duæ Frigidæ. De Temperatis nullum unquam erat dubium, quin illæ ob gratam aeris tem- periem sint & fuerint habitabiles; de torridâ autem, ut & Frigida utraque dubitant non- nulli,

nulli, imo plane hoc negarunt Antiqui, prout
hac de re Ovidium lib. 1. Metamorph. canen-
tem hunc in modum accepimus.

*Et bina dextra cælum, totidemque sinistra
Parte secant Zona, quinta est ardentior illis.
Quarū quæ media est, non est habitabilis æstu:
Nix tegit alta duas, totidē inter utrāq; locavit
Temperiemq; dedit mixta cum frigore flamma.*
Idem refert Plinius lib. 2. hystoriæ naturalis
cap. 68 Aristoteles 2. Meteor cap. 5.

Nos autem rationem & experientiam du-
ces sequentes affirmativam potius tuebimur.
Rationem quod attinet, scimus Deum & Na-
turam, teste Philosopho, nec facere, nec fecisse
aliquid frustra. Frustra verò condita esset ma-
gna pars terræ, si nulli Zonarum istarum in-
habitatores dari possent frustra quoq; univer-
sus Cœli exercitus, Sol Luna & cætera lumi-
naria, istos mundi illuminarent tractus. Expe-
rientia navigantium hoc quoq; evicit, Zonas
ante nominatas, non modo habitabiles esse,
sed & plerasque re ipsa in habitari. Nega-
tivam autem qui defendunt, maximum primò
Zonæ Torridæ nobis objiciunt æstum, quem
excitant radij Solares directè incidentes, un-
de & Torrida quasi calore Solis adusta, no-
men habet. Quæ allata ratio, naturam cœli
Solisque si absolutè & in se spectemus, haud
infirmã videtur, vetum si varias adjacentes
circumstantias respexerimus, utpote exhala-
tio-

tionem vaporum, absentiam Solis noctu, vicinitatem Oceani, imbrium frequentiam, crebritatem ventorum spirantium per altissima montana, quæ nivibus perpetuis obducta sunt, ut docuit Experientia, & hujusmodi alia; non erit adeo torrida hæc Zona, quin inhabitari possit; causæ enim particulares, dum interveniunt, influxus & operationes causarum universalium non rarò impediunt & immutant. De Zonis Frigidis secundò quod nobis oggerunt, est intensissimum frigus, ortum exinde quod præsentia solis majore anni parte careant: ut ut autem solis lumine statis temporibus illustrantur & perfunduntur terræ istæ, radios tamen illius maximè obliquos nihilq; calefacientes excipiunt. Verum si causas particulares ipsamq; consuetudinem quis perpendere velit, habitabiles esse vix negabit. Imo borealem, ad bonam partem inhabitari certum est, ut ut de australi non constet. Diem enim quatuor, quinque, imò plurimum ad huc mensum habent ita ut Sol tempore æstivo illis nunquam fere occidat. Complexionis item seu temperamenti, proculdubio fortioris sunt & firmioris, ut vehementiæ frigoris illæsi ac immunes facillè resistere queant. Pelles præterea habent calidissimas, quibus se adversus vim frigoris perbenè præmunire possunt, consuetudo deniq; ut commune sonat verivebium, est altera natura.

SOLI DEO GLORIA.

Mf. Ry 5656